



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.16. Palæologus Papæ scribit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.
A.C. 1262.

§. XVI.

Palæologus Papæ scribit.

Pact. c. 18.

*ap. Rayn.
1263. n. 23.*

Interim Palæologus bene gnarus a Latinis non diu sibi pacem fore, sæpe ad Papam Legatos misit & munera tum ipsi, tum quibusdam Cardinalibus, aliisque apud eum gratia florentibus deferenda. Legationem aliquam obire Maximus Alufardus monachus, Andronicus Muzalonius, & Michael Abalantus: & in epistola eis tradita Palæologus Urbanum vocabat veteris Romæ Papam, solii Apostolici successorem, ac Imperii sui Patrem spiritualem. Hic Princeps præter magnum pacis & concordie desiderium significabat, se jam hac de materia Papæ mox post captam Constantinopolim scripsisse.

Sed vehementer mihi doluit, addebat, quod Genuensibus propter initum mecum foedus anathema dixeris, eosque ad hoc rumpendum adigas. Miror te Principem Episcoporum præferre bellum paci & amicitie inter Christianos, Genuenses scilicet ac Græcos. Describat mala grandia post superatos a Latinis Græcos Christiano illata nomini, sacrilegia, profanata templa, sublata divina officia. Cum vero præterita, pergebat, infecta reddi nequeant, saltem in poste-

posterum removendæ sunt inimicitia ac ^{Sæcul. XIII.} A.C. 1262.
 offensiones: & quemadmodum id ex a-
 nimo precor, si sincere idem cogites,
 tantum bonum res nulla impedire po-
 test. Tuum nostri parentis munus erat,
 nos prævenire: & tamen prior tibi pa-
 cem offerre volui, Deum & Angelos
 ejus contestans, me, si eam renuas, non
 habiturum, quod mihi exprobrem. Mo-
 do nec dogmata, nec ritus Religionis
 tango. Siqua de iis controversia est, fa-
 cilius post confectam pacem sedabitur.
 Oro demum, ut Nuncios ad me mittas
 pacificos vere: atque per illos tuum re-
 sponsum opperior.

§. XVII.

Papæ responsio.

Urbanus acceptis his Palæologi litteris
 Nuncios pro Græcia delegit quatuor
 Fratres Minores, Simonem Arvernien-
 sem, Petrum Morasium, Petrum Cre-
 stensem, ac Bonifacium Eperodicum.
 Sed quia in remotis tunc regionibus e-
 rant, Papa tam cito, quam voluisset, eos
 mittere haud potuit. Præterea bellum,
 quod Græci Guilielmo Villarduino Acha-
 jæ Principi, cæterisque ejus provinciæ
 Latinis movebant, Papam cohibuit me-
 tuentem, ne Palæologus mutasset ani-
 mum. Tandem an. 1263. illos ad Im-
 pera-

Rayn. n. 26.
Vading. n. 2.
Et c.